

se, ingenua quātumuis persuasione existimant, animaduvertere tenentur, nonnulla in eum modum coaluisse, vt si rimemus, quæ interiùs latent abscondita, exteriorem facultatem, à forma mixti vel compositi, dependentem amittamus. An ergo negemus dissimilis naturæ corpus, vel vixerit, vel mortuum iam sit, vnius regentis formæ viribus actiones suas moderari, quâ destructâ facultates pariter dilabantur?

Sin formæ, actionumq; formalium nulla habita ratione, totius partes constituentes postulemus: an vnaquæq; illarum toto seclusa, certæ alicuius actionis facultatem possidebit? Non longa demonstratione id nobis conficiendum puto: quandoquidem illius plena sunt non solum Chymicorum, sed & Galeni, aliorumque Græcorum & Arabum scripta. Ex Mnesitheï sententia, radicibus plantarum, caulibus, folijs, fructibus, seminibus, alias atq; alias existere facultates facile concedit Galenus. Brassicæ succum ventrem ait soluere, solidiorē eius, magisque terream portionē adstringere: vtrunq; proprii priuatiq; temperamenti indicio.

*Dissimilare  
remedium  
in partes di-  
uidi, quæ  
priuatis suis  
facultati-  
bus sint in-  
signita.*

*1. de Alim.  
facult. c. 1.  
Lib. 3.  
simpl. 15.*